



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

32. de actu matrimonij. s. ratione debiti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

E P I T O M E
DE ACTV MATRIMO-
nij siue solutione carna-
lis debiti.

D I S T I N C T. Trigesimæsecundæ
C A P. Primum.

*Coniuges in soluendo carnis debito,
pares sunt.*

NAm Apost. vtrique pariter præcipit
in hac causa sibi inuicem subiici, in-
quiens: Vir debitum reddat vxori, si-
militer & vxor viro. quia mulier non habet
potestatem sui corporis, &c. quia nec mulier
ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem
potestatem sui corporis habet, nec vir ad con-
tinendum, nec mulier potestatem habet, sine
mutuo consensu, in hoc enim pares sunt.

*aug. li.
de bo.
cōiug.
cap. 6.
et 7.*

C A P. Secundum. *Vir continere
non potest sine consensu
mulieris.*

AIt enim August. Si dicat vir, Contine-
re iam volo, nolo autem vxor, non po-
test. Quod enim tu vis, illa non vult:
nunquid per continentiam tuam illa debet
fieri fornicaria? Si nupserit alij, te viuo, adul-
tera erit. Non vult tali lucro Deus tale da-
mnum compensari. Redde debitum. & si
non exigis, redde. Pro sanctificatione perfe-
cta Deus tibi computabit, si non quod tibi

*sup. ps.
46. et
33. q. 5
si dicat*

debetur exigis, sed reddis quod debes uxori.
Idem Apost. nec ad tempus ut vacent orationi, nisi ex consensu voluit coniuges carnali inuicem fraudari debito.

CAP. Tertium. *Etsi liceat poscenti
semper reddere debitum, non
tamen semper exigere.*

li. de q. no. 8. vet. testam. c. 127. 38. q. 4. c. no. 0. portet.

VNde Aug. Quoties enim vel dies natiuitatis, vel relique festiuitates aduenerint, non solum à concubinarum consortio, sed etiam à propriis vxoribus abstinerent: Nec solum in opere carnali obseruanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis, scilicet illud, Non oportet à septuagesima vsque ad octauam paschæ, & tribus hebdomadis ante festum D. Iohannis, & ab aduentu Domini vsque post Bpiphaniam celebrare nuptias.

DE DIVERSIS CONIUGIORUM LEGIBUS.

DISTINCT. 33. CAP. Primum.

Vxorum pluralitas fuit aliquando licita.

PRO varietate temporum varia inuenitur dispensatio conditoris. Ab exordio enim temporis inter duos tantum, scilicet Adam & Euam, dicente Domino, Homo adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna.

NN ij

283. a.